

B. 1751  
B. 6  
U. 3



FONDO BIBLIOTECA PÚBLICA  
DEL ESTADO DE NUEVO LEÓN

# INSTITUTIONES THEOLOGICÆ

AD USUM SEMINARIORUM.

## TRACTATUS

### DE SANCTISSIMA EUCHARISTIA.

EUCHARISTIA, a verbo græco idem significante ac *gratiarum actio*, sic dicta, est ineffabile mysterium in quo Salvator noster Dominus divitias divini sui erga homines amoris effundit. Dicitur autem *Eucharistia* seu *gratiarum actio*, quia ad gratias Deo agendas destinata est. Appellatur etiam tum in Scriptura sacra, tum apud sanctos Patres, tum in liturgiis et in canonicis Ecclesiæ, *Panis vite*, *Panis Dominicus*, *Panis Angelorum*, *Cæna Domini*, ex circumstantia in qua fuit instituta; *Communio*, quia illius ope fideles Christo, Ecclesiæ et sibi invicem uniuntur; *sacra Synaxis*, id est sacer cœtus, quia fideles in suis cœtibus divinam Eucharistiam accipere solebant. Vocabatur olim ΑΓΑΠΗ, latine *dilectio*, quia est summum divini amoris erga nos argumentum. Dicitur etiam *Mysterium fidei*, *Mysteria tremenda*, *sacrosanctum Mysterium*, *Sancta sanctorum*, *Sacramentum altaris*, et frequentius *sanctissimum Sacramentum*, etc.

Eucharistia duplici modo spectari potest, scilicet, ut sacramentum et ut sacrificium. Itaque hujusce Tractatus duæ erunt partes.

## PARS PRIMA.

DE EUCHARISTIA QUATENUS EST SACRAMENTUM, SEU  
DE SANCTISSIMO EUCHARISTIAE SACRAMENTO.

Eucharistia sic spectata recte definiri potest, ut in Catechismo : *Sacramentum quod vere et realiter continet corpus, sanguinem, animam atque divinitatem Domini nostri Jesu Christi, sub speciebus vel apparentiis panis et vini.* Veritas hujus definitionis patebit ex dicendis.

Septem hujus partis Tractatus nostri erunt capita : primum, de illius sacramenti existentia et natura ; secundum de illius materia ; tertium, de illius forma ; quartum, de illius ministro ; quintum, de illius subjecto ; sextum, de illius necessitate ; septimum, de illius effectibus.

### CAPUT PRIMUM.

DE SACRAMENTI EUCHARISTIAE EXISTENTIA ET NATURA.

Si excipiantur Sociniani et hodierni rationalistae, qui proprie Christiani dici nequeunt et in Tractatibus de *Religione* et de *Ecclesia* confutantur, omnes catholici, schismatici et haeretici unanimiter docent Eucharistiam esse sacramentum. Haec veritas nititur definitionibus Ecclesiae, constanti traditione, testimoniis omnium Patrum ac doctorum, persuasione fidelium et ratione theologica. In Eucharistia enim reperiuntur conditiones sacramentum novae Legis constituentes, videlicet signum sensibile a Christo, modo permanenti, institutum et promissio gratiae. At circa naturam illius sacramenti non ita sibi consentiunt ; quidam illud habentes ut signum realitate vacuum, alii ut praesentiam realem continens simul cum pane et vino, et alii praesentiam cum solis materiae apparentiis. Itaque, seposita sacramenti hujus

existentia ab adversariis admissa, in duplici articulo tractabimus 1° de praesentia reali, et 2° de modo illius praesentiae seu de transsubstantiatione.

### ARTICULUS PRIMUS.

DE PRAESENTIA REALI CHRISTI IN EUCHARISTIA.

Phantasiastae, Valentiniani aliique primorum saeculorum haeretici qui negabant Christum habere verum corpus humanum, vel animam, ut initio Tractatus de *Incarnatione* retulimus, eo ipso indirecte praesentiam realem negabant.

Alii directe eam negaverunt, videlicet, 1° Joannes Scott vel Scot, cognomento *Erigena*, a patria quae erat Hibernia olim vocata *Erim* vel *Erin*. Venit in Galliam in nono saeculo, et a Carolo Calvo bene fuit acceptus, quia pro tempore videbatur doctus. Composuit librum de Eucharistia, nunc non exstantem, in quo totus erat ut persuaderet *hoc quod in altari consecratur, neque vere corpus, neque vere Christi sanguinem esse, sed omnia hic specie geri, non veritate* : sunt verba Ascelini monachi in Epistola ad Berengarium ; *Labbe*, t. ix. Fertur huic auctorem obiisse circa annum 884, quidam dicunt in Gallia, et alii in Anglia. Liber ejus damnatus fuit in conciliis Vercellensi, anno 1051, et Parisiensi, eodem tempore. Scott nullos discipulos reliquisse videtur.

2° Sub initio undecimi saeculi Berengarius, Turonensis, e parentibus divitiis ac nobilitate conspicuis oriundus, celebris Fulberti Carnutensis fuit discipulus et magnos obtinuit progressus. Anno 1030 in patriam reversus. Scholasticus S. Martini Turonensis creatus, multos habuit discipulos, et, licet dignitate archidiaconi in ecclesia Andegavensi donatus, nihilominus apud S. Martinum docere perrexit. Postea, aegre ferens non paucos e discipulis suis ad Lanfrancum, famosam tunc tenentem scholam in monasterio Becensi prope Rothomagum, migrare, singulares cepit defendere opiniones quibus audientium attentionem ad se converteret ; et scriptis

Erigenæ Scoti utens, mysterium præsentiae realis in Eucharistia negavit. Damnatuſ fuit et excommunicatus, anno 1050, a Leone IX, in concilio Romano. et eodem tempore in concilio Vercellensi et Parisiensi. Anno 1055, errores suos ejuravit in concilio Turonensi; sed relapsus, rursuſ damnatus fuit a Nicolao II in concilio Romæ habito anno 1059: damnationi suæ subscripsit, scripta sua combussit, et tamen in Gallia reversus, clamavit se non fuisse liberuſ et de novo eosdem sparsit errores. Tandem in alio concilio, anno 1078 Romæ, jubente S. Gregorio VII, celebrato, bona fide hæresim deseruit, in Galliam rediit, et octo ultimos vitæ suæ annos in parva insula S. Cosmi, prope Turones, pœnitentiam agens duxit.

3º Petrus de Bruis, cujus sectatores dicti sunt Petrobrusiani, versus annum 1126 cœpit docere, in provincia Arelatensi, Christuſ dedisse quidem corpus suuſ et sanguinem in ultima cœna, sed nihil tale in Ecclesia fieri. Hæc refert Petrus Cluniacensis, Biblioth. Patrum, t. XVII.

Quidam Henricus, præcipuus Petri de Bruis sectator, eandem hæresim docuit Tolosis, anno 1146, cui S. Bernardus sermonibus, scriptis et miraculis fortiter obstitit; discipuli ejus vocati sunt Henriciani.

4º Quidam Valdenses et Wiclefistas inter adversarios præsentiae realis computaverunt; sed illustrissimus Bossuet probat eos errare tantuſ circa ministrum, asserentes malum sacerdotem consecrare non posse, et circa mysteriuſ transsubstantiationis.

5º In decimo sexto sæculo Carlostad, discipulus Lutheri, deinde ipsius adversarius, Zuingle, OEcopolampade, alique Sacramentarii et Calvinistæ præsentiam realem aperte negaverunt, contententes, verba Christi, *Hoc est corpus meum*, sensu metaphórico intelligenda esse, pro figura corporis. Cum objiceretur hæc verba esse absoluta et nihil indicare in contextu ea ad metaphoram esse convertenda, Zuingle refert sibi responsum ad hanc objectionem quærenti, quadam nocte, *nescit quem*, asti-

tisse, *ater, an albus fuerit, nihil meminit, qui moneret verbuſ est*, in propositione Christi, eodem sensu accipiendum esse ac in textu Exodi, XII, 11, *Est enim phase (id est transitus) Domini*.

Calvinus autem vim Scripturæ et traditionis triplici effugio præsertim conatus est eludere: 1º dicendo cum Zuingle verbuſ est idem sonare ac significat aut figurat; 2º corpus Christi, licet tantuſ distet ab Eucharistia quantum cœlum a terra, manducari per fidem, quia fidelis credendo illud attrahit et reddit præsens; 3º corpus Christi aliquam virtutem e cœlo diffundere in animam communicantis.

Contra hos omnes stabiliendum est dogma catholicuſ.

## PROPOSITIO.

*Sanctissimuſ Eucharistiæ sacramentuſ continet vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem, una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totuſ Christuſ.*

Hæc verba expressam continent definitionem concilii Tridentini quæ de verbo ad verbuſ sic habetur, sess. 13, can. 1: « Si quis negaverit in sanctissimæ Eucharistiæ » sacramento contineri vere, realiter et substantialiter » corpus et sanguinem, una cum anima et divinitate » Domini nostri Jesu Christi, ac proinde totuſ Christuſ, » sed dixerit tantuſ modo esse in eo ut in signo, vel figura, aut virtute; anathema sit. »

Patet sanctam synodum triplex Calvinii effugiuſ hæc definitione præcludere voluisse. Nostra igitur propositio est de fide catholica. Insuper, probatur Scriptura sacra, traditione et præscriptione. Inter verba Scripturæ, alia promissionem Eucharistiæ respiciunt, alia ejus institutionem, et alia usum. Juvat illud dogma venerandum et maximi momenti fusius probare per argumenta petita 1º ex promissione, 2º ex institutione; 3º ex usu Eucharistiæ; 4º ex traditione; 5º ex præscriptione.

ARGUMENTUM PRIMUM. — *Ex verbis Christi promissionem Eucharistiae respicientibus petitur.*

Hæc promissio reperitur in ultima parte capitis vi Evangelii secundum Joannem, a  $\psi$  23; omnes quippe fatentur in initio capitis, usque ad  $\psi$  25, sermonem esse de ingenti miraculo multiplicationis panum, quibus quinque millia hominum saturati sunt; qua occasione Christus hortatur Judæos ut præstantiorem appetant cibum qui non perit, *sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius dabit vobis.* Postea, in secunda parte, commendat fidem ut conditionem ad obtinendum hunc cibum; tunc seipsum designat ut panem vitæ, ut panem cœlestem, ad quem suscipiendum fides requiritur. Cum is solus qui Deus est, possit talem cibum, videlicet cibum Eucharisticum promittere et præbere, fides in ejus divinitatem necessaria est. Ideo eam firmiter inculcare nititur et simul qualitates mirabilis cibi sic promissi exponit. Deinde,  $\psi$ . 52 et seq., addit:

*Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: et ponis quem ego dobo, caro mea est pro mundi vita. Litigabant ergo Judæi ad invicem, dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis: nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus... Multi ergo audiverunt ex discipulis ejus, dixerunt: Durus est hic sermo, et quis potest eum audire? Sciens autem Jesus apud semetipsum quia murmurarent de hoc discipuli ejus, dixit eis: Hoc vos scandalizavit? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius?... Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retro, et jam non cum illo ambulabant. Dixit ergo Jesus ad duodecim: Numquid et vos vultis abire? Respondit ergo ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.*

Ut ex illo textu solidum deducatur argumentum in gratiam propositionis nostræ, duo sufficiunt, scilicet 1<sup>o</sup> quod in illo de Eucharistia agatur, et 2<sup>o</sup> quod in Eucharistia caro et sanguis Christi vere, realiter et substantialiter tradantur: atqui hæc duo certa sunt.

1<sup>o</sup> In illo textu agitur de Eucharistia. Nam 1<sup>o</sup> series contextus ad hunc sensum naturaliter deducit: Christus siquidem ex pane corporeo, vitam perituram sustentante, animas Judæorum ad vitam æternam erigit; de cibo eam vitam præstante loquitur, et fidem ad hunc cibum percipiendum valde commendat: deinde ineffabilem promittit corporis sui manducationem. 2<sup>o</sup> Fatentibus adversariis, tres alii Evangelistæ institutionem Eucharistiae referunt: incredibile esset S. Joannem de tanto mysterio nihil dixisse: attamen nihil de illo dixisset si præcedentia verba de sacramento Eucharistiae non intellexerentur. 3<sup>o</sup> Christus præcipua vitæ suæ facta aut mysteria prænuntiare solebat, ut discipulos ad ea credenda præpararet: sic prænuntiavit sua opprobria, mortem, resurrectionem, ascensionem, Spiritus sancti effusionem, Baptismi institutionem, infallibilem Ecclesiæ auctoritatem: præsumendum est ergo illum augustissimi Eucharistiae sacramenti institutionem annuntiasse, et S. Joannem, ultimo scribentem, de hujusce mysterii institutione apud tres alios Evangelistas relata siluisse, ejus vero promissionem retulisse. 4<sup>o</sup> Inter sermonem Evangelistarum Eucharistiae institutionem describentium et sermonem apud S. Joannem relatam magna est similitudo; utrinque eadem est cibi et potus, corporis et sanguinis distinctio, eadem dicendi forma. 5<sup>o</sup> Verba quibus utitur Christus aliquid futurum et magni momenti indicant: *Panis quem ego dobo, caro mea est pro mundi vita*: at si fidem in seipsum tantum exprimere voluisset, aliquid futurum non indicasset, nec verbis realitatem sic exprimentibus usus fuisset. 6<sup>o</sup> Omnes SS. Patres Græci et Latini, Ecclesiæ doctores, Scripturæ interpretes et theologi prædicta verba intellexerunt de Eucharistia. « Nemini enim fere auctori, leno n alexe

» ante Lutherum, venit in mentem ut diceret in hoc » loco de Eucharistia non agere. » inquit *Maldonat*; deinde plus quam triginta citat Patres vel antiquos doctores. 7<sup>o</sup> Item concilia Ephesinum, *Labbe*, t. III, Nicænum II, ibid. t. VII, Trid., sess. 13, cap. 2, et multa concilia particularia quædam verba ex dicto S. Joannis capite deprompta Eucharistiæ applicant. 8<sup>o</sup> Plures auctores protestantes, sola textus evidenti ducti, confessi sunt prædicta S. Joannis verba intelligenda esse de Eucharistia: sic *Sherlock*, *Jérémie*, *Taylor*, *Tittman*, *Tholuck*. Ergo 1<sup>o</sup>.

2<sup>o</sup> Hæc verba, de Eucharistia intellecta, veram, realem et substantialem carnis et sanguinis Christi manducationem expriment; sic enim 1<sup>o</sup> Patres et concilia citata ea accipiunt, eaque alio sensu accipi posse nunquam æstimaverunt. 2<sup>o</sup> Verba Christi sensu obvio accepta manducationem realem significant; quod adeo verum est, ut Judæi et ipsi discipuli ea sic acceperint, scandalizati fuerint et multi abierint. 3<sup>o</sup> Si Christus manducationem realem exprimere noluisset, videns Judæos et discipulos propter duritiam sermonis scandalizatos, errorem eorum corrigere debuisset, dicendo sua verba sensu metaphorico, de manducatione per fidem, intelligenda esse: sic in aliis circumstantiis aere consuevit, quando vidit sua verba metaphorica in sensu litterali accipi; hic, e contra, nedum auditores ab errore reducat, eos in persuasionem accepta magis ac magis confirmat, dicens: *Hoc vos scandalizat?* id est, ut interpretatur *Maldonat*, hoc credere non potestis dum me videtis, quomodo ergo credetis cum rediero ad Patrem et amplius me non videtis? et ad Apostolos: *Numquid et vos vultis abire?* 4<sup>o</sup> Advertunt auctores, et præsertim DD. *Wiseman* (*Conférences sur le Protestantisme*), verba manducare carnes, figurative accepta, semper usurpata fuisse apud Hebræos in sensu odioso: ea igitur Christus non adhibuisset, nisi sensum realem exprimere voluisset. 5<sup>o</sup> S. Joannes Evangelium suum scripsit ad probandum, contra *Phantasiastas*, Christum verum habuisse corpus:

scopum intentum optime attingit loquendo de manducatione reali, minime vero si de manducatione in figuram locutus fuisset. Ergo 5<sup>o</sup>; aliunde, etc. Ergo, etc.

*Notandum* tamen, præter Calvinistas, nonnullos catholicos, ut *Gabri-lem*, *Cajetanum*, *Tapper*, *Jansenium* *Gandensem*, tertiam capituli vi S. Joannis partem interpretatos esse de fide, ut facilius refellerent *Husitas* et *Lutheranos*. communionem sub utraque specie jure divino necessariam esse probare nitentes, ex his Christi verbis: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Licet hi erraverint, concilium tamen Tridentinum decretum contra communionem sub utraque specie ita composuit, ut eos non attingeret. Vide *Palav.*, l. 17, cap. 11.

ARGUMENTUM SECUNDUM. — *Ex verbis institutionis Eucharistiæ petitum.*

Institutionem divini illius sacramenti sic refert S. *Matthæus*, xxvi, 26: *Cœnantibus eis, accepit Jesus panem et benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: Accipite et comedite: Hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, et dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes: Hic est enim sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Illa institutio iisdem ferme verbis refertur a S. *Marco*, xiv, 22; a S. *Luca*, xxii, 19, et a S. *Paulo*, I *Cor* xi, 24. Verba consecrationis panis sunt apud omnes: *Hoc est corpus meum*. S. *Lucas* addit: *Quod pro vobis datur*; et *Apostolus*: *Quod pro vobis tradetur*; in textu græco *frangitur*. Verba consecrationis calicis sunt apud *Matth.* et *Marc.*: *Hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis*, etc.; apud *Lucam*: *Hic est calix Novum Testamentum in meo sanguine qui pro vobis fundetur*, et apud *B. Paulum*: *Hic calix Novum Testamentum est in meo sanguine: hoc facite*, etc.

*Unde* sic: Præcedentia verba sensu naturali accepta præsentiam realem expriment, ut ipsi *Sacramentarii* fatentur: atqui sensu naturali accipienda sunt. Nam

1<sup>o</sup> verba Scripturæ semper intelligenda sunt sensu obvio et naturali, nisi aliquid ostendat ea sensu metaphorico esse accipienda, alioquin nihil esset certum: porro in contextu prædictorum verborum nihil ostendit ea sensu metaphorico accipienda esse. 2<sup>o</sup> Quando adhibentur figuræ, necesse est ut signum rem exprimendam significet, vel ex natura sua, ut statua ad effigiem alicujus sculpta; vel ex usu recepto, v. g., sicut agnus significat Christum; vel ex loquendi modo aut ex contextu, exempli gratia: *Est enim phase, id est transitus Domini*, Exod. XII, 11; vel ex præmonitione loquentis, quia unusquisque sensum metaphoricum voci qua pro arbitrio utitur annectere potest, modo audientes de hac significatione admoneant, secus insipienter loqueretur. Atqui panis et vinum neque ex natura sua, neque ex usu recepto, neque ex loquendi modo aut contextu, sunt figura corporis et sanguinis Christi, et Christus his utendo vocibus discipulos non movit eas sensu metaphorico accipiendas esse: ergo dicendum esset Christum, cujus verba tantam simplicitatem et claritatem semper redolent, hic modo ambiguo et inintelligibili locutum fuisse. 3<sup>o</sup> Metaphoræ ideo adhibentur ut qualitates alicujus rei clarius aut fortius exprimantur; v. g., dicitur de viro forti quod sit leo, id est habeat talem fortitudinem qualem habent leones: in metaphoris igitur necesse est ut terminus figurativus sit generalis, hinc Christus recte dixit generaliter: *Ego sum panis vitæ*, id est, habeo relative ad vitam æternam eas qualitates quas panis materialis habet relative ad vitam corporalem; sed dicere non potuisset, aliquem ostendendo panem, *Ego sum hic panis*, quia tunc non designasset qualitatem, sed ipsam panis substantiam. Pariter dixit: *Ego sum vitis vera; Pater meus agricola est..... vos palmites*, Joan. XV, 1 et a 5; non autem: *Hæc vitis, hic agricola, hi palmites*. Attamen dixit, ostendendo panem et vinum: *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*. Ergo non adhibuit metaphoram. 4<sup>o</sup> Christus, dicta proferens verba, sacramentum instituebat, juxta ipsos novatores, dogma

fidei proponebat, legem condebat, testamentum conficiebat et ultimum vale discipulis suis dicebat: hujus modi circumstantiæ exigebant ut aperte et simpliciter loqueretur. Equidem sic admirabiliter locutus est, si præsentiam realem expresserit; contra vero obscure et absurde, si quamdam præsentiam figurativam significare voluerit. 5<sup>o</sup> Apostoli verba Christi de præsentia reali intellexerunt, ut patet relatione B. Pauli, I Cor. II, 23 et seq., qui certe sensum figurativum indicare debuisset, si eum admittendum esse credidisset. 6<sup>o</sup> Tota omnium ecclesiarum traditio, saltem usque ad Sacramentarios, præfata Christi verba in sensu naturali accepit, ut *infra ostendemus*.

Ipse Lutherus in Epist. ad Argentinenses, t. VII operum ejus, ait: « Vellem quod posset aliquis mihi persuadere nihil esse in Eucharistia præter panem et vinum: magno ille me beneficio devinceret. Jam sæpe gravibus curis in hac materia desudavi, et videbam me hoc modo posse Papatui incommodo esse. Verum ego me captum video, nulla elabendi via relicta est, textus Evangelii nimis est apertus. » Ergo.

Protestantes pauca hæc verba, *Hoc est corpus meum*, sensu figurativo explicare, aut in sensum a sensu catholico alienum detorquere volentes, in innumeras abierunt sententias diversas. Auctor quidam Lutheranus 80 numerat. Bellarminus, de Euch., l. 1, c. VIII, refert anno 1577 prodiisse libellum in quo 200 jam numerabantur. Ex illo tempore quot aliæ prodierunt!

Inter recentiores quidam dicunt panem significare corpus Christi, quia cadaver est siccum; et vinum sanguinem, quia utrumque est rubri coloris; alii volunt corpus Christi vocatum esse panem pro nobis traditum, quia Christus in corpore suo pro nobis satisfecit sicque animas nostras sustentavit; alii vocem *corpus* intelligendam esse de Agno paschali de quo edidit Christus in signum novi federis; alii Christum illis verbis significasse quamdam susceptionem universæ doctrinæ morte sua confirmatæ; alii negant quidquam symbolis eucha-

risticis significari, etc. *Hampden, Kuinoël, Wenstein, Rosenmüller*, etc. Vide *P. Perrone*, de Euch., part. 1, cap. 1.

Nihil proficiunt Sacramentarii varios allegando Scripturæ textus, in quibus verbum *esse* ponitur pro *significare*, v. g., *Septem boves pulchræ et septem spicæ pleæ, septem uertatis anni sunt*, Gen. xli, 26; *Petra autem erat Christus*, I Cor. x, 4, etc.; nam sensus metaphoricus ex contextu evidenter determinatur. Idem dicendum de textu jam citato: *Est enim phase Domini*; de quo insuper animadvertit *Rosenmüller* ipse in Hebræo legendum: *Est enim phase Domino*, quod omnem difficultatem aufert: intelligendum enim esset eo sensu, quasi *Hoc est pacha seu festum paschatis sacrum Domino*.

ARGUMENTUM TERTIUM. — *Ex usu Eucharistiæ desumptum.*

Modum divina Eucharistia utendi sic describit Apostolus, I Cor. xi, 27, postquam institutionem hujus sacramenti retulit: *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probat autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini*. Supposita reali præsentia, ad sensum catholicorum, hæc verba sunt clara, gravia, sensu plena, ad ædificationem animæ conducentia: si vero corpus et sanguis Christi non accipiuntur in Eucharistia nisi in figura et per fidem, rationabilem non habent sensum. Quid enim significant verba manducare corpus vel bibere sanguinem indigne, reum esse corporis et sanguinis Domini, corpus Domini non discernere, id est, illud sicut cibos communes sumere, si tantummodo ibi adsit figura? Aliunde, cum, juxta Calvinistas, sola fides peccata remittat, vel sumens Eucharistiam habet fidem, vel non: si habet fidem, justitiam obtinet et indigne non manducat; si non habet fidem, corpus Christi nullo modo accipit, sed ad summum figuram ejus non sufficienter

honorat: ergo proprie dici non potest eum corpus Christi indigne manducare, illius reum esse, etc. Ergo.

Firmum aliud d. duci posset argumentum ex sequentibus ejusdem B. Pauli verbis, I Cor. x, 16, 17: *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus*. Optimum habent sensum hæc verba de præsentia reali intellecta, et ad fovendam pietatis affectionem valde idonea sunt; in sensum vero figurativum detorsa, sunt obscura et absurda. Ergo.

ARGUMENTUM QUARTUM. — *Ex traditione petitem.*

Quamvis Protestantes soli Scripturæ standum esse profiteantur, et traditionem sibi adversam contemnere soleant, conati sunt tamen Patres primorum sæculorum ad se trahere, ut probarent catholicos, præsentiam realem admittentes, a doctrina veterum recessisse. « Constat vestros omnes scriptores qui totis quinquæ sæculis post Apostolos vixerunt, uno ore nobis patrocinari, » inquit Calvinus in ultima admonitione ad Westphalum. Hæc audax assertio impudens est mendacium. Si cuncta Patrum testimonia quæ præsentiam realem adstruunt referre vellemus, multo longiores essemus. Cum dogma præsentia realis ex natura sua sit popolare, supponi non potest aliquem ex SS. Patribus ignorasse quid Ecclesia suo tempore doceret, aut contra fidem ejus, nullis reclamantibus, scripsisse. Sufficit ergo unum aut alterum ex singulis sæculis in testimonium proferre.

Primo sæculo S. Ignatius martyr, S. Petri discipulus, ab eo, post Evodium, Antiochensis ordinatus episcopus, et anno 116 circiter mortuus, Epist. ad Smyrnæos, n. 8, de quibusdam errantibus dicit: « Ab Eucharistia et oratione abstinent, eo quod non confiteantur Eucharistiam carnem esse Servatoris nostri Jesu Christi, qui pro peccatis nostris passus est, quem Pater sua benignitate suscitavit. » *Cotel.*, t. II, pag. 37.

Secundo sæculo, S. Justinus, in Apologia ad imperatorem Antoninum directa, anno 150, n. 66 : « Neque enim ut communem panem, neque ut communem potum, ista sumimus; sed quemadmodum per verbum Dei caro factus Jesus Christus Salvator noster, et carnem et sanguinem habuit nostræ salutis causa : sic etiam illam, in qua per precem ipsius verba continentem gratiæ actæ sunt, alimoniam, ex qua sanguis et carnes nostræ per mutationem aluntur, incarnati illius Jesu et carnem et sanguinem esse edocti sumus. Nam Apostoli in commentariis suis quæ vocantur Evangelia, ita sibi mandasse Jesum tradiderunt, eum scilicet accepto pane, cum gratias egisset, dixisse : *Hoc facite in meam commemorationem : Hoc est corpus meum*; et poculo similiter accepto, actisque gratiis, dixisse : *Hic est sanguis meus*, ipsisque solis tradidisse. » Panis et vinum eo modo, per verba a Christo determinata fiunt corpus et sanguis Christi, quo per verbum Dei caro factus est Salvator noster : atqui Salvator noster non factus est caro metaphorice : ergo.

Tertull., libro de Resurrectione carnis, cap. 8, sic se habet : « Caro abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur, caro signatur, ut et anima muniatur... caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut anima de Deo saginetur. » Si Christus figurate tantum esset in Eucharistia, certe dici non posset carnem corpore et sanguine Christi vesci. Præterea caro realiter abluitur, ungitur, signatur, etc. Ergo, in mente Tertulliani, et realiter corpus et sanguinem Christi suscipit.

Eodem sæculo, S. Cypr., Epist. x, aliquos reprehendens presbyteros qui, ad preces martyrum et confessorum, veniam facilius lapsis concedebant, ait : « Illi contra Evangelii legem, contra vestram quoque honorificam petitionem, ante actam pœnitentiam, ante exomologesim... offerre pro illis et Eucharistiam dare, id est, sanctum Domini corpus profanare audeant, cum scriptum sit : *Qui ederit panem aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.* »

Quarto sæculo habentur testimonia concilii Nicæni I, prohibentis, can. 64, diaconis ne corpus Christi presbyteris porrigant. S. Greg. Nyssenus, Catechetica oratione, cap. 37, ait, post comparisonem inter corpus Verbi incarnati, et corpus Christi in Eucharistia : « Et hic similiter panis, sicut dicit Apostolus, sanctificatur per verbum Dei et orationem, non eo quidem quod cibo mediante in Verbi corpus evadat, sed quod statim per verbum in corpus transmutetur, sicut dictum est a Verbo : *Hoc est corpus meum.* »

S. Cyrillus Hierosol., anno 386 defunctus, Catechesi 4 mystagogica : « Cum igitur ipse Christus pronuntiaverit et dixerit de pane : *Hoc est corpus meum*, quis audebit deinceps ambigere ? et cum ipse asseveraverit et dixerit : *Hic est sanguis meus*, quis unquam dubitaverit, aliens non esse ejus sanguinem ? Aquam olim in vinum, quod sanguini affine est, in Cana Galilææ transmutavit, et eum parum dignum existimabimus cui credamus, cum vinum in sanguinem transmutavit ? Ad nuptias corporales vocatus, stupendum hoc miraculum effecit ; et non eum multo magis filiis thalami nuptialis corpus suum et sanguinem fruenda donasse confitebimur ? Quare cum omni persuasione tanquam corpus et sanguinem Christi sumamus. Nam sub specie panis datur tibi corpus, et sub specie vini datur tibi sanguis ; ut cum sumpseris corpus et sanguinem Christi, concorporeus et consanguis ipsi efficiaris : sic etenim Christiferi efficiuntur, distributo in membra nostra corpore ejus et sanguine. » Adeo clarus est ille textus, ut nulla explicatione indigeat : idcirco illum in aliqua extensione referendum censuimus. Melius adhuc tota Catechesis legeretur.

Quinto sæculo, S. Ambros., lib. de Mysteriis, cap. 9, n. 54 : « Ipse clamat Dominus Jesus : *Hoc est corpus meum*. Ante benedictionem verborum cœlestium, alia species nominatur, post consecrationem corpus significatur. Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem, aliud dicitur ; post consecrationem, sanguis nun-



» cupatur. Et tu dicis : Amen, hoc est, verum est. Quod  
 » os loquitur, mens interna fateatur ; quod sermo sonat,  
 » affectus sentiat. »

S. Chrysost., Homilia 83 in Matth., n. 4 : « Quoniam  
 » ille dixit (Christus) : *Hoc est corpus meum*, obtempere-  
 » mus, credamus .. Quot sunt qui modo dicant : Vel-  
 » lem ejus formam, typum, vestimenta, calceamenta  
 » videre ? Ecce ipsum vides (in Eucharistia), ipsum tan-  
 » gis, ipsum comedis. Et paulo post : Cogita quantum  
 » adeptus sis honorem, qua frueris mensa. Quod angeli  
 » tremunt videntes... eo nos alimur, huic commiscemur  
 » factique sumus Christi unum corpus et una caro. »

S. Aug., Sermone 132 de Verbis Evang. Joan., dicit :  
 » Qui jam manducant carnem Domini et bibunt sangui-  
 » nem ejus, cogitent quid manducant et bibant, ne, sicut  
 » dicit Apostolus, *judicium sibi manducant et bibant.* »

Sexto sæculo, S. Cæsarius Arelatensis, anno 542 vita  
 functus, Homilia 7 de Paschate 5, ait loquens de sacra-  
 » mento corporis et sanguinis Christi : « Quando bene-  
 » dicendæ verbis cœlestibus creaturæ sacris altaribus  
 » imponuntur, antequam invocatione sancti nominis  
 » consecrentur, substantia illic est panis et vini : post  
 » verba autem Christi, corpus est et sanguis Christi.  
 » Quid autem mirum est si ea quæ verbo potuit creare,  
 » possit verbo creata convertere ? »

Sexto et septimo sæculo, S. Gregorius Magnus, anno  
 604 mortuus, Homilia 14 in Evangelia : « Bonus pastor  
 » pro ovibus suis animam posuit, ut in sacramento nos-  
 » tro corpus suum et sanguinem verteret, et oves, quas  
 » redemerat, carnis suæ alimento satiaret. » In hypo-  
 » thesi adversariorum, non carnis alimento, sed carnis  
 simulacro Christus fideles satiaret.

Præterea, idem S. Greg., Dialog. l. 3, cap. 3, refert  
 claudum et mutum oblatum fuisse S. Agapito, pontifici  
 Romano, qui « orationi incubuit, et missarum solemnia  
 » exorsus, sacrificium in conspectu Dei omnipotentis im-  
 » molavit ; quo peracto, ab altari exiens, claudi manum  
 » tenuit, atque assistente et aspiciente populo, mox a

» terra in propriis gressibus erexit, cumque ei Domini-  
 » cum corpus in os mitteret, illa diu muta ad loquen-  
 » dum lingua soluta est. Mirati omnes flere præ gaudio  
 » cœperunt. »

Insigne aliud miraculum in Vita S. Greg. a duobus  
 diversis auctoribus scripta, refertur : Quædam mulier a  
 dicto S. Greg. interrogata cur jam communicatura risis-  
 set, respondit, quia de pane a se confecto eum audisset  
 dicentem : « Corpus Domini nostri Jesu Christi custo-  
 » diat animam tuam. Tunc S. Greg. hæc audiens, pro  
 » incredulitate mulieris, cum tota plebe se in orationem  
 » prostravit, et post paululum surgens, particulam panis  
 » quam super altare posuerat, carnem factam reperit. »  
*Inter opera S. Greg., t. IV.*

Hæc facta saltem evidenter probant dogma præsentiae  
 realis et transsubstantiationis tunc universim creditum  
 fuisse.

Octavo sæculo, S. Joannes Damascenus, anno 760 cir-  
 citer defunctus, de Fide orthodoxa, l. 4, cap. 13 : « Nec  
 » vero panis et vinum Christi corporis et sanguinis figu-  
 » ra sunt (absit), sed ipsum Domini corpus deitate dona-  
 » tum ; cum ipse Dominus dixerit, *hoc est*, non figura  
 » corporis, sed *corpus meum* ; neque figura sanguinis,  
 » sed *sanguis meus*. Et antea Judæis dixerat : *Nisi man-  
 » ducaveritis*, etc. Et paulo post : Quod si nonnulli pa-  
 » nem vinumque corporis et sanguinis Domini antitypos,  
 » seu imagines figuræve vocaverunt, velut divinus Ba-  
 » silius, non hoc post consecrationem dixerunt, sed  
 » antequam oblatio ipsa consecraretur vocem hanc usur-  
 » parunt. »

Nono sæculo, Nicephorus patriarcha Constantinopol.  
 apud Allatum, de Perpetua consensione utriusque eccle-  
 siæ, l. 3, cap. 15 : « Nos catholici neque imaginem,  
 » neque figuram hæc, *corpus et sanguinem* dicimus, licet  
 » symbolice conficiantur, sed ipsum Christi corpus dei-  
 » ficatum. »

Anno 831, juxta P. Mabillon, Annal. Bened., t. IV, pro-  
 diit liber Paschasii Radberti, monachi et deinde abbatis

Corbejensis, de corpore et sanguine Domini, in quo præsentiæ realis tam aperte docetur, ut quidam scriptores calvinistæ affirmare non erubuerint Paschasium certe primum fuisse novatorem qui doceret Eucharistiam simul esse figuram corporis Christi et ejusdem corporis veritatem. Ipsius tamen doctrina circa hoc punctum consentanea est testimoniis jam relatis, et nisi consensisset fidei Ecclesiæ, adversus illam undique reclamatum fuisset. Liber ejus reperitur in Bibliotheca Patrum, t. XIV.

Versus finem ejusdem sæculi, apparuit liber Scoti Erigenæ, qui præsentiæ realem impugnans, supposebat tamen eam ab omnibus tunc admitti: statim Nicolaus I ad Carolum Calvum scripsit, postulans ut talem novatorem expelleret. *Labbe*, t. VIII.

Postea ipsi Sacramentarii non negant fidem totius Ecclesiæ Romanæ tunc fuisse Christum realiter esse præsentem in Eucharistia, et ideo eam in absurditatem idolatriæ lapsam esse fidenter pronuntiant. Ergo.

Omnes norunt in primis Ecclesiæ sæculis, paganos mysterium sacræ Eucharistiæ confuse intelligentes, Christianis exprobrasse quod in cœtibus suis nocturnis infantem immolarent, carnem ejus ederent ac sanguinem potarent, sicque eos valde odiosos populo reddidisse. Constat Christianos, ex pastorum præscriptione, verum prædicti sacri mysterii sensum revelare noluisse ob incredulorum blasphemias. Porro utrumque factum in Historia ecclesiastica certissime consignatum nonne evidenter probat tunc creditum fuisse Christum aliter quam sensu figurativo in Eucharistia præsentem esse?

ARGUMENTUM QUINTUM. — *Ex præscriptione petitur.*

Qui positiva traditionis monumenta colligere, lustrare et ab objectis adversariorum vindicare non posset, præscriptionis argumento de præsentia reali Christi in Eucharistia sic facile convinceretur. Nunc, solis Sacramentariis exceptis, omnes ecclesiæ et sectæ christianæ, in orbe universo dispersæ, catholicæ, hæreticæ, schismati-

cæ, Latinæ, Græcæ, Moscovitæ, Armenicæ al'æque Orientales dogma præsentia realis admittunt; illud admittebant in decimo sexto sæculo, quando Lutherus et Calvinus prædicare cœperunt: id fatentur Sacramentarii. Imo conveniunt hanc persuasionem in nono vel decimo sæculo invasisse et tempore Berengarii fuisse universalem, ut patet ex tot sententiis quibus ille fuit percussus, donec errorem suum abjuraret et resipisceret. Tota igitur difficultas est, an fides hujus dogmatis decursu temporum incœperit, an vero ab Apostolis descendat. Atqui ab Apostolis descendit; ab Apostolis enim descendit si ipsius introductio fuerit prorsus impossibilis: atqui introductio præsentia realis fuit omniino impossibilis. Nam 1<sup>o</sup> hic recurrunt omnes rationes quibus ostendimus suppositionem alicujus sacramenti fuisse impossibilem. 2<sup>o</sup> In ea hypothese, omnes fideles per octo vel novem sæcula persuasum habuissent Eucharistiam esse duntaxat figuram corporis Christi, et postea omnes præsentiam realem credidissent: at evidenter repugnat omnes fideles ab una persuasionem ad fidem oppositam in materia tanti momenti sic transiisse, ut nullum talis innovationis reperiatur vestigium. 3<sup>o</sup> Supponendum est innumeros episcopos, presbyteros et monachos, qui hactenus credebant et docebant Christum non esse in Eucharistia nisi modo figurato, doctrinam oppositam amplexos esse sine disceptatione, eamque velut a Christo descendente, unanimi ore tradidisse: quis autem, serio reflectens, talem suppositionem admittere potest? 4<sup>o</sup> Volunt adversarii suppositionem quam fingunt in nono vel decimo sæculo contigisse, eamque Paschasio, obscuro monacho, tribuunt: sed eo tempore, Græci a Latinis jam incipiebant separari: Coptæ, Jacobitæ, aliæque sectæ Orientales a plurimis sæculis erant separata: quomodo fieri potuit ut omnes dogma rationi impervium, antiquæ fidei contrarium et gravissimi momenti, adeo facile et universaliter admiserint, ut ne unus quidem, aut episcopus, aut doctor, imposturam detexerit vel suspicatus fuerit? Eadem recurrit ratio pro aliis retro sæculis: si una ecclesia talem produxisset innovationem,